



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

Munera Daemonu[m]. C. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**



monis audiebat eum dehortantem; quam tamen alij adstantes non audiebant. Valent etiam Dæmones cum strepitu loqui; dum hominibus insinuantur, eorumque vtuntur instrumentis.

*Munera Dæmonum.*

CAP. VII.



Il in vniuerso superuacaneum, nil inutile, nil otio penitus torpens inuenitur; sed quò res eminentioris sunt conditionis, eò eminentiores præbent vsus, & salubriores pariunt fructus. Dæmones, qui sub orbe Lunæ obtinent principatum; nedum proprium in vniuerso gradû complent, pro mundi perfectione: verum insuper conducunt ad citò, rectè, exactè implenda mandata Dei; ad regionum, vrbium, hominumque custodiam. Nonnulli enim vniuersæ regioni, alij vrbibus, quidam singulis hominibus præfunt. Hi sunt, quorum ministerio animæ in corpora descendunt; quorum consilio in vita diriguntur: quorum reuelatione varia cognoscunt; quorum opera pœnas luunt, & purgantur; demum, quorum auxilio ad superna eleuantur: adeò, vt non iniuria humana felicitas Eudæmonia nuncupata sit; quia bono Dæmone duce eam consequimur. De his dixit Plato in Epinomide, in somniis, in vaticiniis percipi; per voces audiri, in sanitate, in ægritudine, in vitæ exitu conspici; & propterea multa sacra eis fuisse instituta. Historiæ nobis pate-

pate-



patefaciunt, experientiaque cognoscimus; hominum nonnullos esse fortunatos, alios infortunatos: mira sæpè conspicimus, vel legimus contigisse, attinentia ad sortes, ad furores, ad ægritudinum curationes, ad somnia, ad oracula, ad diuinationē; quorum nec quidem probabilem valemus afferre rationem, nisi Dæmonum auxilio fuisse facta confiteamur. Pomponatius Peripateticus solertissimus, ingenio sublimi, iudicio acri præditus: cum in multis se admirabilem præstiterit: dum in lib. de Incantationibus, neglectis Dæmonibus, plurimarum rerum causas nititur afferre: se profusus deridendum patefacit; cum opera eminentissima dicat à causis leuissimis profluxisse. Multa itaque, & præclara sunt opera Dæmonum. Propterea dixit Proclus: Dæmon solus omnia mouet, cuncta gubernat; nostra omnia excolit, atque disponit: enimvero rationem perficit, perturbationes temperat, Naturam inspirat, corpus cōtinet, fortuita subministrat, fatalia complet, Prouidentiaē dona largitur; vnusque hic existit vniuersorum, quæ in nobis, & circa nos sunt, rector, totius vitæ gubernacula tenens, &c. Quæ Procli sententia non ita accipienda est, vt homo penitus in Dæmonum manibus sit collocatus: adeo, vt sua libertate sit destitutus; ita enim approbanda non esset: sed eatenus est vera, quatenus plurimum in nobis, ex Platonis sententia, possunt Dæmones; & vim habent in animam potiùs,



quàm in mentem; mens enim Dæmoni non subiicitur. Sed hoc est consideratione dignum, nunquid vni homini vnus solus præsit Dæmon, vel multi præesse possint? Profectò vnus est proprius, plures possunt esse aduentitij: & qui proprius est, nunquam in eodè vitæ curriculo hominem deserit; sed à genitura, vsque ad præsentiam iudicis vitæ, eum gubernat, & ducit; vt Socrates in Phædone testatur: quæ sententia absolutè vera erit, si nomine Dæmonis participatam mentem intelligemus. Cùm igitur tot sint munera Dæmonum; iurè contigit, vt olim apud Ægyptios, Chaldæos, Arabes, Dæmonum cultus summopere floruerit; qui hodie penè in vniuersum euauit, cùm opera Dæmonum non tam frequenter appareant. Cuius rei Plato superno lumine destitutus, conuenientem rationem assignare non posset: Nos autem optimè scimus, Christum à prauis Dæmonibus priscum imperium, & facultatem substulisse; adeò, vt iure cum eorum facultate illorum cultus apud homines olim delusos magna ex parte delituerit.

*An dentur Dæmones mali.*

CAP. VIII.

**M**agna inter Academicos est altercatio, an Dæmones omnes debeant censeri boni; vel etiam Dæmones inueniantur, qui mali sint. Plurimi censent, Dæmones omnes esse bonos: quoniã  
 non